

necessaria in Sacerdote, ad hoc ut remittat peccata, & ab illis sacramentaliter absolvat, sed ad id sufficit potestas ordinis, que physica & realis est.

24 Respondeo, quod licet ad effectum physicum modo præcise physico causandum, non requiratur aliquid morale, bene tamen ad effectum physicum, non tantummodo physico, sed etiam morali producendum: remissio autem peccatorum mediante gratia in Sacramento penitentia, non tantum physice, sed etiam moraliter causatur, quia causatur modo judiciali, qui est moralis.

25 Obijcies quinto contra secundam conclusionem: Nullus est Sacerdos cui in sua ordinatione non detur potestas absolvendi a peccatis, in ordinatione enim sacerdotali Episcopus in persona Christi proferit verba illa Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remissionis peccata, remittentur eis, &c. quibus & non aliis Christus contulit Apostolis integram potestatem jurisdictionis in foro interiori: Ergo potestas jurisdictionis, nihil importat præter potestatem ordinis, sive characterem.

26 Respondeo Sacerdotes, ex vi suæ ordinationis, & illorum verborum, Accipite Spiritum Sanctum, &c. recipere potestatem absolvendi a peccatis, non moralem, in qua consistit potestas jurisdictionis; sed physicam, in qua consistit potestas ordinis. Ad probationem in contrarium dico, quod licet Apostoli simul cum ordinatione Sacerdotali & Episcopali, jurisdictionem universalem in Christianos omnes acceperint, eam tamen non receperunt ex vi talis ordinationis, nec ex vi illorum verborum, Accipite Spiritum Sanctum, &c. sed ex speciali privilegio ratione necessitatis, & Apostolica dignitatis, illis concessio, subindeque nec simplicibus Sacerdotibus, nec ipsis etiam Episcopis communicato; nam Episcopi mere titulares alicujus loci in quo nullas Christianas existit, sicut nullos habent subditos, ita nec ullam jurisdictionem, que sine subditis esse non potest. Et idem est de Episcopis illis qui absolute privantur suo Episcopatu, aut cum summi Pontificis venia, illi remanent; hi enim omnes sunt quidem Episcopi quoad characterem, & potestatem ordinis, tamen careant jurisdictione, quam vel noudum acceperunt, vel ea spoliati sunt.

27 Instabis: Sacerdotes ex vi illorum verborum, Quorum remissionis peccata, remittentur eis, &c. constituuntur iudices, subindeque potestatem judicariam recipiunt: Sed potestas judicaria est potestas moralis & non physica: Ergo ex vi illorum verborum Sacerdotes recipiunt potestatem moralem absolvendi a peccatis, ac proinde ipsam jurisdictionem.

28 Confirmatur: Potestas physica ad absolvendum a peccatis, consistit in caractere sacerdotali: Sed antequam Episcopus proferat illa verba, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remissionis peccata, &c. Sacerdos characterem sacerdotalem insignitus est: Ergo antequam illa verba proferat, habet potestatem physicam ad absolvendum a peccatis, subindeque ex vi horum verborum non recipit potestatem physicam ad absolvendum a peccatis, sed dumtaxat potestatem moralem, que est ipsa potestas jurisdictionis.

29 Ad instantiam respondeo, Sacerdotes ex vi illorum verborum constitui iudices aptitudine, quatenus accipiant potestatem ordinis, ratione cujus deputantur tanquam apti ad ferendam sententiam, constituuntur autem actu iudices quando actu ipsis conferuntur subditii, quia tunc primo habent jus ad ferendam sententiam.

30 Ad confirmationem dico, potestatem physicam ad absolvendum, non consistit in caractere sacerdotali, sed in quodam modo reali & intrinseco majoris perfectionis & extensionis ipsius, ratione cujus character est potentia physica non tantum supra corpus Christi reale ad consecrandum ipsum, sed etiam supra corpus mysticum sive supra fideles penitentes ad physice causandum in Sacramento penitentia eorum sanctificationem per gratiam, licet autem antequam Episcopus in consecratione Sacerdotum proferat hæc verba, Accipite Spiritum Sanctum, &c. jam sint caractere sacerdotali insigniti secundum quod character importat præcise potentiam physicam supra corpus Christi naturalem, non tamen secundum quod, ratione prædicti modi, est insuper potentia physica supra corpus morale & mysticum, illum enim modum recipit solum in prolatione illorum verborum: Accipite Spiritum Sanctum, &c.

31 Obijcies sexto: Initio nascentis Ecclesie omnes Sacerdotes poterant quovisque penitentes voluntarie se submittere, a quibuscumque peccatis absolvere: Ergo quilibet Sacerdos habebat jurisdictionem ex vi suæ ordinationis. Consequenter videtur legitima, & Antecedens vero probat Navarrus ex cap. Placuit, de penis. distinct. 6. in quo Urbanus II. qui floruit circa annum 1100. prohibet ne deinceps ulli Sacerdoti liceat, quemlibet alteri Sacerdoti commissum, ad penitentiam recipere, sine ejus consensu, cui prius se commisit. Nam dictio Deinceps (inquit) & similes, denotant constitutiones in quibus penamur, præterita non comprehendere, subindeque autem

illam constitutionem Urbani II. consuevisse fideles alteri quam proprio Sacerdoti confiteri.

Respondeo primo, negando Antecedens, nam longo tempore ante Urbanum II. non licebat fidelibus alteri quam proprio Sacerdoti confiteri, ut colligitur ex Epistola a. decretali Calixti I. que habetur in Decreto Gratiani 9. quest. 2. can. 1. ubi sic dicitur: Nemo alterius terminis usuret, nec alterius parochianum judicare presumat, quia talis sententia irrita erit, nec illas vires habebit. Unde particula illa deinceps, qua Urbanus II. in sua constitutione usus est, non significat antea fuisse licitum confiteri cuilibet Sacerdoti, sed est confirmatio prohibitionis antiq. hæc, saps enim solent confirmari ordinationes antea factæ, vel ut habeant majorem vim, vel quia antiquæ incipiunt a plerisque negligi, & in desuetudinem abire.

Respondeo secundo, dato Antecedente, negando Consequentiam, nam quamvis initio nascentis Ecclesie, usque ad tempora Urbani II. fuisse illa consuetudo, ut quilibet Sacerdotes quovisque penitentes absolvent, habuissent tunc Sacerdotes potestatem jurisdictionis absolvendi quoslibet, non præcise vi suæ ordinationis, sed ex concessione Ecclesie ipsa volens, sicut nunc vult ut Sacerdos quilibet possit quemlibet in articulo mortis existentem ab omnibus peccatis absolvere, immo & quemlibet alium a peccatis venialibus, & mortalibus alias confessis ut in solutione secundæ objectionis declaravimus.

§. III.

Corollaria notata digna.

EX dictis inferes primo, potestatem jurisdictionis in foro penitentiali esse quid morale, nimirum deputatum legitimam ad exercendum officium Confessoris, absolvendo a peccatis modo judiciali: sicut potestas jurisdictionis in foro externo, consistit solum in deputatio- nem legitimam ad exercendum officium judicis, sive ad absolvendum fidei damnandum modo judiciali. Hoc tamen inferes has duas potestates discernere intercedit, quod potestas jurisdictionis in foro externo, non præsupponit necessario aliam potestatem physicam, que fit sacramentum illius, nihil enim physicum habet iudex in foro externo, ratione suæ dignitatis, quod non habeat vel habere possit ceteri cives dignitate judiciali delituti: e contra vero potestas jurisdictionis in foro penitentiali, necessario supponit aliquam potentiam physicam ordinis supernaturalis, nimirum characterem Sacerdotalem, cum modo reali & intrinseco extensionis supra corpus Christi mysticum, ut supra diximus, unde carens characterem Sacerdotali, non possunt ab Ecclesia deputari ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum a peccatis, modo judiciali.

Inferes secundo, potestatem jurisdictionis in foro penitentiali duplicem esse, sicut in aliis judiciis, ordinariam nimirum, sive ex officio, & delegatam, sive ex commissione. Ordinaria dicitur illa quam quis habet ex vi proprii muneris & officii, qualis est ea quam habet Summus Pontifex in omnes fideles, Episcopi in sua diocesi, Parochi intra limites sue parochie, & prelati Religionum in suos subditos; illi enim omnes ex officio sunt pallores animarum. Delegata vero ea dicitur, quam quis habet non ex officio, sed tantum ex commissione alterius qui habet jurisdictionem ordinariam.

Inferes tertio, potestatem jurisdictionis in multis differre a potestate ordinis. Primo quia potestas ordinis consistit cuilibet Sacerdoti, per sacram ordinationem; potestas vero jurisdictionis per deputationem legitimam ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum a peccatis. Secundo, quia Sacerdotes omnes in potestate ordinis æquales sunt, non vero in potestate jurisdictionis: Tertio, potestas ordinis invariabilis est ac indelebilis; secus vero potestas jurisdictionis, que potest augeri vel minui, immo & totaliter auferri, etiam in Summo Pontifice, qui licet suam jurisdictionem supremam & simplicissimam immediate a Deo habeat, potest tamen si velit illi renuntiare, ut a Celestino IV. factum est. Denique potestas ordinis non potest delegari, bene tamen potestas jurisdictionis.

Quæres, ad complementum hujus disputationis, an approbatio Episcopi sit conditio necessario requisita, ad hoc ut Sacerdos in foro penitentiali habeat jurisdictionem, & valide a peccatis absolvere possit?

Respondeo affirmative, quamvis enim jure antiquo illa non esset necessaria, sed sola superiorum licentia sufficeret, jure tamen novo, in Concilio Tridentino edito, illa necessario requiritur, nam sels. 23. c. 15. de reform. sic habetur: Decernit sancta Synodus, nullum eorum regularium, posse confessiones secularium, etiam sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, se illis videlicet esse necessarium, aut alias idoneum judicetur, approbatione, qua

gratis detur, obtineat; privilegio & consuetudine quantumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Ubi duo modi approbationis assignantur: alter per collationem Parochialis beneficii, alter per examen Episcopi, si illis videatur esse necessarium. Prior modus antiquus est, posterior novus, & a Concilio introductus. Sicut ergo idem Concilium sels. 24. cap. 1. de reform. statuit ad validitatem matrimonii requiri presentiam Parochi cum duobus vel tribus testibus, que tamen antea non requirebatur: ita decrevit ad validitatem Sacramenti penitentia, requiri necessarium in ministro approbationem Episcopi, que antea requisita non erat. Unde sicut post Tridentinum, matrimonium clandestinum invalidum est, ita & absolutio data a Sacerdote ab Episcopo non approbato. Quare penitens, etiam si bona fide confiteatur Sacerdoti ab Episcopo non approbato, tenebitur iterum confiteri approbato, cum primum id noverit: atque ita ferunt declarasse Congregationem Cardinalium, qui auctoritatem habent explicandi Concilium.

32 Ex his inferes primo, eos qui obtinent parochiale beneficium, id est cui animarum cura annexa est, non egerit Episcopi approbatione, ut possint audire confessiones, quia Concilium illos exceptit, his verbis: Nisi aut parochiale beneficium obtineat.

33 Inferes secundo, Episcopos, vel Abbates Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, non egerit approbatione, cum sit eadem vel potior ratio de his ac de Parochis; bene tamen superiores Religionum, cum hi nullo modo eximantur a Concilio. Idem dicendum de publicis Theologis Doctoribus, ut anno 1571. definitur Pius V. qui tamen vetat eos sine prævio examine approbandos esse, ut refert Henricus lib. 6. de Sacram. cap. 6. Aliqui tamen existimant eos ab illa lege excipi, eo ducti argumento, quod approbatio publica Academia supplet approbationem Episcopi. Sed standum est declarationi Pontificis.

34 Inferes tertio, non posse Parochos deputate ad audiendas suorum Parochianorum confessiones, eum qui neque est approbatus ab Episcopo, neque parochiale beneficium obtinet; ille enim a Concilio non reputatur idoneus hujus Sacramenti minister.

35 Inferes quarto, Episcopum non posse sibi eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non subditum, a proprio Ordinario non approbatum, ut determinavit Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, circa c. 15. sels. 23. Verba ejus sunt S. D. N. auctoritate Congregationis, declaravit Episcopum videri privilegio de quo in cap. su. de penis. & remissio, non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui a proprio Ordinario non fuerit ab hoc ad formam hujus decreti (Tridentini Concilii) admittus, seu approbatus, ad audiendas confessiones.

36 Inferes quinto, ad audiendas Confessiones Regularium, non esse necessarium habere Episcopi approbationem, quia Concilium limitat suum decretum ad eos qui audiunt Confessiones secularium, his verbis: Nullus etiam Regularis, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire. Unde non tenentur Superiores Religionum, cum Confessoribus assignant suis subditis, eos Episcopo presentare, ut ab eo approbentur. Ex quo

37 Inferes sexto, quod quando Superior concedit subdito licentiam eligendi sibi Confessorem in itinere, potest sibi eligere quemcumque, etiam ab Ordinario non approbatum: nam hoc ipso quod licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

38 Inferes septimo, ad audiendas Confessiones non sufficere approbationem, positam ab Episcopo, & ab illo iuste negatam. Concilium enim requirit, ut Confessorius sit approbatus. Quod etiam declarat plures Summi Pontifices, præsertim Innocentius V. in Brevi Apostolico in causa Palafoxii Episcopi Angelopolitani, & Jesuitarum Provincie Mexicanae; Alexander VII. in Brevi ad Episcopum Andegavensem; & Clemens XI. in Bulla data anno 1690. sic incipiente: Suprema magis Patrisfamilias præordinatione. At ille non est approbatus qui tantum petit & non obtinet approbationem, sive iuste negetur, sive iniuste: Ergo non potest audire Confessiones. Unde inter propositiones a prelo Alexandro VII. damnatas die 24. Septembris anni 1665. hæc est decimataria: Satisfacis præcepto annua Confessionis, qui confiteatur regulari, Episcopo presentate, sed ab eo iniuste reprobat.

39 Inferes secundo, utrum ministrans Sacramentum cum jurisdictione tantum probabili, valide absolvat?

40 Respondeo validam esse absolutionem, si Sacramentum ministrat in casu necessitatis. Licet enim in materia & forma Sacramentorum non liceat sequi opinionem prohibentem, bene tamen in jurisdictione. Ratio est, quia in primo casu exponit quis se periculo faciendi Sacramentum nullum, non autem in secundo, cum enim materia & forma Sacramentorum, non dependeat ab Ecclesia & consensu ejus, sed ab institutione Christi, Ecclesia non potest, etiam in casu necessitatis, illarum defectum supplet: e contra vero, cum jurisdictionis ab Ecclesia pen-

deat, quando probabiliter existimans se habere jurisdictionem, quam tamen de facto non habet, ministrat Sacramentum penitentia in casu necessitatis, tunc Ecclesia censetur supplere jurisdictionem; ut constat de Parochia, cujus acta omnia valida sunt, si communiter habeatur ut Parochus. Dixi, si ministrat Sacramentum in casu necessitatis, quia nunquam Ecclesia supplet jurisdictionem, nisi sit necessitas.

DISPUTATIO X.

De qualitate & integritate Confessionis.

Ad quæst. 9. supplementi.

Elebris est hæc disputatio, in ea siquidem plures agitari solent graves difficultates, & controversiæ, sequentibus articulis discutienda & resolvenda.

ARTICULUS I.

An, & in quibus casibus confessio possit esse informis, & tamen valida?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

Notandum primo, hic nos non loqui de informitate, que proveniat ex defectu forme Sacramentalis; sed de ea que provenit ex defectu gratia, & remissionis peccatorum. Unde nomine Confessionis informis, sed tamen valide, intelligimus eam que caret effectu ob quem fit, videlicet gratia & peccatorum remissione, per quam tamen conficitur verum penitentia Sacramentum, adveniente forma absolutionis. Ratio autem hujus denominationis est, quia cum ultima forma Sacramenti penitentia veluti extrinseca, sit gratia, que significatur & causatur virtute ipsius, si detur Confessio Sacramentalis, que non obstante suo valore cum forma absolutionis non producat gratiam, dicitur informis; sicut e contra quando illam producit, vocatur formata.

Notandum secundo, quod quamvis facile concipi possit, alia Sacramenta posse esse valida, & tamen informia, quia possunt habere omnia que ad eorum substantiam requiruntur, materiam scilicet, & formam, atque intentionem ministerii, nihilominus ob indispotionem subiecti non causare in eo gratiam sanctificantem; difficile tamen concipitur quod Sacramentum penitentia possit esse informe, & tamen validum, non enim est par ratio de Sacramento penitentia, ac de aliis, quia in nullo alio contritio ipsa vel attritio, que est dispositio ad gratiam & removet obicem, est essentialis pars Sacramenti: Secus autem in illo quod idcirco non videtur posse confici, quin recipiatur a subiecto dispositio ad gratiam, & consequenter nisi in illo fortitatur effectum. Unde plures Theologi hoc fundamento ducti, existimant in nullo casu posse contingere, quod Confessio Sacramentalis sit valida, & nihilominus sit informis, seu careat effectu ob quem fit, videlicet gratia & peccatorum remissione. Ita Gabriel, Major, Adrianus, Vega, & Sylvius, quos ex Patribus Societatis sequuntur Valquez, Conink, Amicus, & Martinus. Thomiste vero, Suarez, & alii, e contra docent posse dari Confessionem validam, licet informem, differunt tamen in assignandis & determinandis casibus in quibus hoc accidat. Illi vero casus de quibus est controversia, ad tres præcipue reduci possunt.

Primus est quando contingit alicui facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis, quod tamen penitens credit esse sufficientem ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, quamvis non crassa & affectata; si enim ex tali ignorantia affectata ignoraret esse insufficientem, concedunt omnes, Confessionem fore formaliter non integram, subindeque Sacramentum nullum; quia quando ignorantia est affectata vel crassa, ita se habet homo ac si sciret se commississe peccata de quibus non recordatur, & consequenter ac si ea sciens & volens non confiteretur.

Secundus est, quando penitens habet attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi amplius, non tamen virtuale pro se implicitam quandam & secretam peccandi voluntatem. Licet quia mentitur iniquitas sibi, ipsi penitens id non cognoscit.

Tertius est, quando attritio non est generalis, atque adeo non se extendit ad peccata ex oblivione naturali & inculpabili penitentis in Confessione omittit, verbi gratia, quando quis habens quatuor peccata lethalia, perjurium, furtum, adulterium, & homicidium, solum tria posteriora declarat in Confessione, & de ipsis habet attritionem supernaturalem ex motivo particularis deformitatis eorum; quartum vero ex oblivione naturali & inculpabili

non declarat, nec proinde de illo dolet, quia existimat se illud non commisit.

Plures ergo ex nostris Thomistis existimant in his tribus casibus dari confessionem validam, sed informem. Alii solum in primo & secundo casu, Alii vero solum in tertio. Primum tenent Ledesma, Nugno, & Candidus, secundum docet Joannes a S. Thoma. Tertium asserit Philippus a S. Trinitate. Pro resolutione fit

§. II.

Verior & probabilior sententia, sequentibus conclusionibus statuitur & explicatur.

Dico primo, posse dari Confessionem Sacramentalem validam, tamen informem.

Probat primo ex D. Thoma hic art. 1. ubi sic loquitur, Confessio potest esse in eo qui non est contritus, quin possit peccata sua pandere sacerdoti, & clavibus Ecclesie se subdicere, & quantum tunc non percipit absolutiois fructum, tamen recedente fictione, percipere incipit, unde non tenetur reformandum nisi suam fictionem consideret: Ergo ex mente D. Thomae potest dari Confessio valida, & tamen informis. Probat consequentia, tum quia nemo percipit fructum absolutiois praterite, nisi illa valida fuerit: Sed ex D. Thoma recedente fictione percipit homo fructum absolutiois antea date: Ergo absolutio illi, quam constat esse informem, valida erat. Tum etiam, quia si Sacramentum omnino fuisset invalidum, non fuisset fictioem considerari, sed repetenda esset Confessio: Atqui in illo casu non est repetenda Confessio, ut ait S. Doctor: Ergo in eo casu Sacramentum non fuit invalidum.

Probat secundo: Plus est Confessionem esse simul validam & formatam, quam esse tantum validam; esse enim validam tantum, est solum habere que sunt de ejus essentia & quidditate, esse vero insuper formatam, est habere praterea suum effectum: Ergo plus requiritur ad illud, quam ad illud, consequenter licet confessio non sit formata, sive licet careat suo effectu, poterit tamen esse valida, sive habere que sunt de essentia & quidditate Confessionis Sacramentalis.

Confirmatur: Cum effectus sit extra essentiam & quidditatem suae causae, potest causa ab eo separari, sive potest eo carere, ipsam non causando actualiter, ob aliquam subjecti indispositionem, quamvis ex se sit sufficienter causativa ipsius, ut patet in igne non semper producente de facto calorem, ob subjecti indispositionem: Sed Confessionem esse validam, licet informem, nihil aliud est quam eam separari a suo effectu, sive eo carere, ipsam non causando actualiter, ob subjecti indispositionem, licet ex se sit sufficienter causativa ipsius: Ergo Confessio potest esse valida, & tamen informis.

Dico secundo: Confessionem non esse validam & informem in duobus primis casibus supra adductis. Id est quando contingit aliquem facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis, vel habere attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi, non tamen virtuale & implicitum.

Probat primo quoad primam causam: Vel penitens bona fide & inculpabiliter credit se diligens sufficienterque suae conscientiae examen confessioni premittisse, vel culpabiliter, & cum ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, id sibi persuadet? Si primum, nullo modo ponit obicem gratiae, & remissionis peccatorum, subindeque peccatam inculpabiliter omnium indirecte ipsi remittitur, sicut quando oblivione naturali excidit et memoria aliquid peccatum: nam ut ait Trident. sess. 14. cap. 5. Peccata que diligenter cogitant non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheeta dicimus: Ab oculis meis mundam me Domine que mundatio non fit sine remissione peccatorum: Ergo si in eo casu confessio fit valida, non erit informis, sed formata. Si vero dicatur, quod penitens ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili sibi persuadet sufficientis suae conscientiae examen se confessioni premittisse, tunc confessio non solum erit informis, sed etiam invalida, quod se ostendo. Integritas formalis confessionis est de substantia Sacramenti penitentiae, ut fatetur Adversarius: At si ignorantia sit vincibilis & mortaliter culpabilis, confessio non erit integra formaliter: Ergo Sacramentum penitentiae tunc non habebit quidquid requiritur ad ejus substantiam, subindeque erit invalidum. Minor probatur: Ut omittens aliquid peccatum, dicatur facere confessionem formaliter integram, oportet quod illud ex rationabili causa omittat: Sed qui omittit illud ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, non omittit ex causa rationabili, ut patet, quia rationabilis causa est tantum impotentia physica, aut moralis, vel grave aliquod nocuum sibi vel proximo: Ergo qui omittit aliquod peccatum in confessione ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, non censetur facere confessionem formaliter integram.

Probat secundo conclusio quoad secundam causam: Si ne parte essentiali non potest Sacramentum in suo valore consistere: Sed attritio omnem affectum peccati mortalis excludens, est pars Sacramenti penitentiae, ut definitur Tridentinum sess. 24. cap. 4. Ergo qui peccata confiteatur cum attritione non excludente omnem affectum ad peccatum mortale, retinetque secretam quandam & implicitam peccandi voluntatem, facit Sacramentum, non solum informem, sed etiam invalidum.

Dices primo cum Joanne a S. Thoma, Concilium ibi loqui de attritione, ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non vero ut est pars illius, unde licet ad obtinendam gratiam & remissionem peccatorum, requiratur attritio excludens omnem voluntatem peccandi, quam tamen non tamen ut Sacramentum sit validum, & confer omnibus partibus ad sui essentiam vel integritatem requiritur.

Sed contra primo: Concilium ibidem cap. 3. loquitur de partibus hujus Sacramenti in communi, atque illas esse tres, quae sunt quasi materia hujus Sacramenti, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem; & praeter tribus capitibus sequentibus differit in particulari de qualibet parte; primo quidem de contritione, quam dividit in perfectam, quae contritio simpliciter appellatur, & imperfectam, quae attritio dicitur, &c. Ergo ibi loquitur de attritione, non solum ut est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam ut est pars intrinseca illud componens.

Contra secundo, si valeret haec solutio, eadem facilitate posset quae dicitur, quod quando Concilium ibidem docet, contritionem illam imperfectam, quae attritio dicitur, esse supernaturalem, verumque Dei donum, & Spiritus sancti impulsam, loquitur de attritione ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non vero ut est pars illius; subindeque ad valorem Sacramenti non requiri dolorem supernaturalem, sed naturalem sufficere, licet requiratur supernaturalis ut infundatur gratia: Sed hoc dici nequit, ut fatetur Joannes a S. Thoma, & alii Thomistae communiter: Ergo nec illud.

Dices secundo, quod licet ad obtinendum effectum hujus Sacramenti requiratur attritio, quod de facto omnem peccandi affectum excludat, ad ejus tamen valorem sufficit quod penitens existimat, & invincibiliter putat, se habere attritionem, omnem peccandi affectum excludentem, quamvis revera attritio ejus talem affectum non excludat.

Sed contra: Quando aliquid est necessarium necessitate medi ad aliud habendum, illo omisso, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non potest illud obtineri: Sed attritio excludens omnem peccandi affectum est necessaria necessitate medi ad valorem Sacramenti penitentiae, cum sit pars essentialis illius: Ergo quamvis penitens invincibiliter putet attritionem, quam habet de peccatis, omnem peccandi affectum excludere, si tamen revera illud non excludat, non faciet Sacramentum validum, sed invalidum.

Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Materia Sacramenti quae requiritur ex divina institutione, ita debet poni vere & in re, quod non potest suppleri per ignorantiam, vel existimationem quantumcumque invincibilem; quia materia existimata, non est materia instituta a Christo; Sacramentum autem essentialiter componitur ex materia instituta, non ex materia existimata, ut constat in omnibus Sacramentis; si quis enim in pane aut vino existimato, sed non vero, consecrat, nihil facit, & similiter si baptizat in aqua existimata naturali, sed non vero; aut si contrahat cum consensu existimato, sed non vero, nihil efficit: Ergo cum materia penitentiae est institutio Christi, iuxta Concilium Tridentinum, sit contritio, vel attritio, omnem peccandi affectum excludens, quantumcumque attritio omnem peccandi voluntatem censetur excludere, si tamen revera illam non excludat, Sacramentum penitentiae erit invalidum.

Confirmatur amplius: Ad valorem Sacramenti penitentiae non minus requiritur, quod attritio quae est pars essentialis illius, omnem peccandi affectum excludat, quam quod sit supernaturalis; utramque enim conditionem in ea requirit Tridentinum loco citato, dicens talem attritionem voluntatem peccandi debere excludere, & verum donum Dei esse, ac Spiritus Sancti impulsam: Sed attritio naturalis, quamvis invincibiliter existimetur supernaturalis, non sufficit ad valorem Sacramenti penitentiae, ut fatetur Adversarius: Ergo nec attritio non excludens omnem peccandi affectum, quamvis illum excludere invincibiliter existimetur.

Dico tertio, si quis habens quatuor peccata mortalia, tria declarat in confessione, & de eis attritionem habet, supernaturalem quidem, sed ex motivo particularis deformitatis eorum, aliud vero ex inadvertentia inculpabiliter non declarat, nec consequenter de illo dolet, quia non putat se illud commississe, confessio ejus erit valida, licet informis.

Proba-

Probat breviter: Et in primis quod Confessio illa sit informis, sive careat suo effectu, qui est remissio peccatorum, videtur certum. Nam in confessione unum peccatum non remittitur sine alio: Sed in casu postea non remittitur penitenti illud peccatum quod ex inadvertentia inculpabili non declarat: Ergo nec illa quae in confessione aperit remittitur. Major patet. Minor probatur. Nunquam remittitur peccatum, nisi habenti dolorem formalem aut virtuale de ipso: Sed in casu postea, penitens neque habet dolorem formalem neque virtuale de peccato commisso: non quidem formalem & explicitum, ut constat, cum non cogitet de illo: neque etiam virtuale & implicitum, quia dolor de peccato ex motivo ipsi speciali, v. g. de adulterio ex speciali turpitudine ipsius, non est dolor virtualis de peccatis diversificationis, puta de furto, vel de homicidio: Sed penitens in casu postea non dolet de tribus peccatis, nisi ex particulari motivo, & ex speciali ipsorum turpitudine: Ergo non habet dolorem virtuale & implicitum de quatuor.

Dices, quod quamvis illa attritio considerata praefixi ex proprio motivo non extendatur etiam virtualiter ad peccatum oblitum; bene tamen quatenus hic & nunc conjungitur voluntati suscipiendi Sacramentum, & redeundi in amicitiam divinum.

Sed contra: Voluntas suscipiendi Sacramentum, neque formaliter, neque virtualiter opponitur peccato, neque etiam intento quantumcumque recuperandi divinam amicitiam; ut patet in eo qui orando petit hanc divinam amicitiam, quam tamen, si sit in statu peccati, non obtinet, nisi adum contritionis elicit: Ergo attritio, ut conjuncta tali voluntati & intentioni, non se extendit, etiam virtualiter & implicite, ad peccatum oblitum.

Quod vero in casu postea confessio fit valida, ex eo probatur, quod est illa non sit integra materialiter, bene tamen formaliter, sicut contingit quando peccatum aliquod mortale taceatur in confessione, ex oblivione naturali & inculpabili. Aliunde vero sufficit ad valorem confessionis, quod attritio se extendat ad omnia peccata quae in confessione aperiuntur: Ergo licet in casu postea per accidens non se extendat ad peccatum oblitum & omnium, hoc non obstat valori confessionis. Consequentia patet. Antecedens probatur. Attritio estens solum est pars Sacramenti penitentiae, quatenus fit sensibilis per confessionem peccatorum: Ergo ad valorem hujus Sacramenti sufficit quod attritio se extendat ad omnia peccata quae in confessione declarantur.

Dices: Qui ex justa causa subicit in confessione aliquod peccatum, cujus memoriam habet, si doleat tantum de peccatis quae aperit, non vero de illo quod subicit, Sacramentum est invalidum: Ergo idem in casu postea contingit.

Sed nego consequentiam & paritatem; nam in eo casu confessio non est integra, etiam formaliter, ex eo quod penitens omittens contritionem de peccato cujus memoriam habet, ponit obicem effectui Sacramenti, subindeque peccat mortaliter, in nostro vero casu confessio est integra formaliter, quia peccatum ad quod attritio non se extendit, omittitur in confessione ex ignorantia invincibili, aut oblivione inculpabili.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primo contra primam conclusionem: Haec duo inter se coherere nequeunt, nempe quod Sacramentum sit verum & validum, & tamen gratiam non causet, quandoquidem de ratione Sacramenti est esse causam gratiae: Ergo repugnat dari confessionem validam, & tamen informem.

Respondeo, negando Antecedens, & ad illius probationem, dico, non esse de ratione Sacramenti causare actualiter gratiam, sed habere vim & virtutem ad illam causandam, licet interdum actualiter ob aliquam subjecti indispositionem illam non causet: sicut ignis ex se est causativus caloris, est ob aliquam subjecti indispositionem, illum non semper actu producat.

Dices: Sacerdos non habet intentionem absolvendi penitentem, & sciendi Sacramentum, nisi conferendo gratiam: quandoquidem si cognosceret illum non esse sufficienter dispositum ad recipiendam gratiam, non posset absque sacrilegio ipsum absolvi: Ergo repugnat Sacramentum penitentiae esse validum, nisi de facto gratiam conferat.

Respondeo, quod licet in casu quo Sacerdos cognosceret, penitentem non esse sufficienter dispositum ad recipiendam effectum Sacramentalis absolutiois, non posset licite ipsum absolvere; ex eo tamen non sequitur, quod non habeat intentionem absolvendi, nisi conferendo de facto gratiam, alias similiter ex eo quod non liceat ipsi baptizare adultum quem scit non esse dispositum ad digne suscipiendum tale Sacramentum, similiter dici posset quod

non haberet intentionem baptizandi, nisi conferendo gratiam; quod tamen est falsum apud omnes; cum certum sit Baptismum quamvis sic susceptum, non esse iterabilem, atque adeo esse validum.

Obijcies secundo: Eadem attritio quae est pars Sacramenti penitentiae, est etiam dispositio ad effectum illius; unde Tridentinum non distinguit in attritione rationem partis, & rationem dispositionis: Ergo non fiat Sacramentum penitentiae esse validum, & constare materia sibi debita, nisi sit formatum, & nisi producat in penitente suum effectum, nempe gratiam & remissionem peccatorum.

Respondeo, quod licet regulariter & per se eadem attritio, quae est pars Sacramenti penitentiae, sit etiam dispositio ad effectum illius, ideoque Tridentinum non distinguit in attritione rationem partis, & rationem dispositionis; per accidens tamen, & in aliquo casu raro & extraordinario contingere potest, quod attritio sit pars Sacramenti penitentiae, tamen non disponat ad effectum illius; quando nimirum illa procedit ex motivo turpitudinis specialis aliquorum peccatorum, subindeque non formaliter nec virtualiter se extendit ad aliud peccatum invincibiliter ignoratum, aut inculpabiliter oblitum; unde in eo solum casu existimo posse dari confessionem validam, & tamen informem, ut in tertia conclusione declaravimus.

Dices, ut attritio sit materia hujus Sacramenti, debet esse talis, quod super illam possit verificari forma: Sed forma hujus Sacramenti, nimirum, Ego absolvo te a peccatis tuis; non potest verificari super attritionem quae non est dispositio ad gratiam; quia remota dispositione ad gratiam & remissionem peccatorum, verificari non potest quod penitens a peccatis absolvetur: Ergo attritio quae non est dispositio ad gratiam, nequit esse materia in Sacramento penitentiae, nec habere rationem partis respectu illius.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; nam ut docet S. Thomas 3. p. quaest. 84. artic. 3. ad 5. sensus horum verborum, Ego absolvo te, non est, Ego tibi confero gratiam a peccatis solventem, seu peccata remittentem, sed ego tibi sacramentum absolutiois impendo, seu Sacramentum absolutivum a vinculis, remissionem peccatorum, & collativum gratiae: hoc autem verificatur, est attritio non disponat ad gratiam, & licet de facto non remittantur peccata, ratione indispositionis ex parte subjecti, non tamen ex parte Sacramenti; sicut ob eandem rationem, quando Baptismus sic suscipitur, verba formae verificantur, licet baptizatus, a peccatorum fordibus tunc de facto non abluatur.

Obijcies tertio contra tertiam conclusionem: Peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento penitentiae, quamvis confessio ad ea non se extendat, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis supra relatis: Peccata ignis diligenter cogitant non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheeta dicimus: Ab oculis meis mundam me Domine: Ergo similiter peccata inculpabiliter oblita remittuntur in hoc Sacramento, quamvis attritio ad ea non extendatur, subindeque tunc confessio non solum est valida, sed etiam formata.

Respondeo, concessa Antecedente, negando consequentiam & paritatem; notabile enim inter integritatem confessionis & integritatem attritionis reperitur discrimen; nam integritas confessionis solum est de precepto, non de necessitate medi; unde quomodocumque satisfacti illi precepto, confessio manet integra formaliter penitentiae vero interior est medium per se requisitum ad remissionem peccati; unde si respectu aliquis peccati haec attritio non extenditur, non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium.

Obijcies quarto: Quando attritio est particularis, atque adeo non se extendit ad peccata omnia in confessione ex ignorantia inculpabili, confessio non solum est valida, sed etiam formata; Ergo falsum est in eo casu dari confessionem validam simul & informem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Tunc confessio producit gratiam, atque adeo est formata, quando penitens nullum ponit obicem gratiae Sacramentalis: Sed in illo casu penitens nullum ponit obicem gratiae Sacramentalis, alias enim peccaret, quandoquidem obligatur ex precepto divino non impedire effectum Sacramenti, atque adeo non apponere illi obicem: Ergo in tali casu confessio non solum est valida, sed etiam formata.

Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem dico, tunc confessionem Sacramentalem producere gratiam, quando penitens nullum ponit obicem neque positivum neque negativum gratiae; in casu autem quo ex ignorantia inculpabili ejus confessio non fit de omnibus peccatis quae commisit, & dolor sive attritio quam habet de illis quae confiteatur, non se extendit ad ea quae non confitentur, quia non est ex motivo generali, sed particulari; in illo, inquam, casu, penitens ponit impedimentum gratiae, non quidem positivum, sed negativum, videlicet negativum.

qui dispositione mentis majoris occidit centum homines, quam ei qui esse unum duntaxat interfecit.

47. Confirmatur secundo: Concilium ibidem docet, non solum speciem, sed etiam numerum peccatorum mortalium esse in confessione explicandum: Ergo censet circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, esse in confessione explicandas. Consequentia probatur, quia peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem, vel habet plures malitias distinctas, ut ex professo probat Martinez in Tractatu de Peccatis, vel saltem aequivaler quantum ad gravitatem pluribus peccatis, & est virtualiter multiplex: ut patet in furto mille aureorum, quod quantum ad malitiam & gravitatem aequivaler mille furis unius aurei, & in odio per integrum diem vel annum durante, quod aequivaler & virtualiter continet plures actus odii, quia continuatio peccati est virtualiter quaedam distinctio peccatorum.

48. Probatur secundo conclusio: Illa circumstantia est in confessione necessario explicanda, quae est materia necessaria confessionis: Sed circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis: Ergo in confessione necessario explicari debet. Major patet, Minor probatur. Illa circumstantia est materia necessaria confessionis propter quod peccatum a se quod potest ab Episcopo vel Summo Pontifice reservari: Sed Episcopi vel Summi Pontificis possunt sibi reservare, & interdum sibi reservant peccata, ratione alicujus circumstantiae notabiliter aggravantis quam habent adjunctam, puta incestum cum propria sorore, vel matre, non vero cum nepre aut consobrina: Ergo circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis, Minor patet, & conceditur ad Adversariis, qui fatentur in eadem circumstantiam notabiliter aggravantem, per accidens, & propter illam reservationem, esse in confessione necessario declarandam. Major etiam ex eo constat, quod Ecclesia nunquam sibi reservat, nec reservare potest venialis, aut mortalia alia rite confessi, quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria, sed libera confessionis; unde si pariter circumstantiae intra eandem speciem notabiliter aggravantes essent materia libera confessionis, non posset Ecclesia sibi reservare aliud quod peccatum, ratione alicujus circumstantiae notabiliter illud intra eandem speciem aggravantis.

49. Probatur tertio conclusio: Circumstantia notabiliter aggravans, licet intra eandem speciem, majorem nonnumquam nascitur addit, quam quae variat speciem: Ergo si haec in confessione explicanda est, etiam illa. Consequentia patet, Antecedens vero probatur. Furtum centum mille aureorum, vel occisio centum mille hominum, absolute continet in se majorem malitiam, quam furtum unius aurei, vel occisio unius hominis in Ecclesia.

50. Confirmatur: Si circumstantia varians speciem peccati non adderet ipsi novam malitiam, certum est quod non teneretur eam explicare: Ergo causa necessitatis in explanatione circumstantiae, non est differentia specifica, sed adjecta malitia: Ergo ubi est malitia notabilis superaddita, sive sit ejusdem speciei, sive alterius, oportebit eam explicare: unde cum circumstantia notabiliter aggravans intra eandem speciem superaddat eo ipso notabilem malitiam, non satisficit integritati confessionis qui eam non explicat.

51. Demum suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quae sequuntur ex adversa sententia. In primis enim ex illa sequitur nullum actum externum esse in confessione explicandum, sed solum internum affectum effectivum: cum enim juxta probabiliorum & communiorum sententiam, tota malitia peccati desumatur ab effectu interno, & nullo modo ex opere externo, opus externum esse sola circumstantia peccati, quia nullam novam malitiam, saltem specificam & essentialem, ei superaddit.

Secundo sequitur, quod ille qui cum sorore sua concubuit, satisfaciat precepto confessionis, si dicat se incestum commississe: incestus enim cum propria sorore, aut cum alia sanguinea, vel cum affine, sunt ejusdem speciei in esse moris, & primum habet tantum aggravare in specie incestus; quia ex communi sententia, quam insinuat D. Thomas a. q. 154. art. 9. ad a. omnia peccata incestus sunt ejusdem rationis & speciei.

Tertio sequitur, quod qui immaniter amputasset alicui aures, & brachia, & pedes, linguamque ei abscedisset, atque oculos effodisset, dummodo illum non occidisset, satisficeret precepto confessionis, dicendo se graviter aliquem vulnerasse. Et qui dispositione tormenti bellici occidisset mille homines, sufficeret suum delictum explicare, dicendo se rem esse homicidii. Item qui edicto injusto bona totius reipublice expulisset, & cives omnes bonis propriis spoliasset, satisficeret dicendo se in materia gravi erratum esse.

92. Nec valet quod ait Valentia, nempe quantitatem furti non esse vere & proprie circumstantiam ipsius actionis furti, si in individuo furto consideretur, sed potius deter-

minatum illius obiectum mortale, atque adeo quiddam pertinens ad illius substantiam in individuo consideratum. Non valet, inquam, hoc enim est expressum contra D. Thomam 1. 2. quod. 7. art. 3. ad 5. Aristotelem 3. Ethic. c. 1. & Ciceronem in sua Rhetorica cap. 1. qui assignans septem circumstantias actuum humanorum, videlicet *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, dicunt* pertinere ad substantiam furti, quod res sit aliena; quod autem multum vel parum, pertinere ad circumstantiam quid. Verba D. Thomae sunt. *Conditio causa ex qua substantia actus dependet; non dicitur circumstantia, sed alia qua conditio adjuncta; sicut in obiecto non dicitur circumstantia furti, quod sit alienum, hoc enim pertinet ad substantiam furti, sed quod sit magnum vel parum.*

§. 11.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt primo Adversarii: Tridentinum sess. 14. c. 5. doctrinaliter definit, quae circumstantia explicanda sint, meminit solum earum quae speciem mutant: Ergo alie explicanda non sunt, alioquin doctrina Concilii dimissa esset, neque vera esset haec verba quae ibidem addit, *Nihil aliud a penitentibus exigitur &c.*

Respondet Concilium ideo explicite non meminisse locum citato, nisi earum circumstantiarum quae mutant speciem, quia controversiam inter Theologos de aliis quae non variant speciem noluit definire. Ceterum cum hoc fiat rationem quam tradit, ut quae explicari debeant ille quae variant speciem, ostendit implicite necessitatem explanationis aliarum, ut in prima probatione conclusio ostensum est. Unde Catechismus Romanus, iussu Pii V. editus, de Sacram. Penitentiae, §. *Secundum*, docet juxta mentem Tridentini, non modo peccata omnia, sed etiam circumstantias, quae peccati gravitatem valde augent vel minuunt, explicandas esse.

Adde, ex eo quod species & numerus peccatorum mortalium in confessione necessario explicari debent recte colligi, etiam circumstantias intra eandem speciem aggravantes, declarandas esse; quia circumstantia notabiliter aggravans (ut in tertia probatione diximus) majorem interdum malitiam addit, quam quae variat speciem; & peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem, nonnumquam est virtualiter multiplex; ut patet in furto mille aureorum, quod aequivaler mille furis unius aurei.

Ad id quod subditur dicendum est, quod cum Concilium addit: *Nihil aliud a penitentibus exigitur*, non vult nihil aliud exigi, quam ut species & numerus peccatorum declarantur, sed nullum aliud actum ad valorem confessionis requiri, quam examen & confessionem peccatorum, cum sufficienti dolore de ipsis, ut patet ex verbis illis quae statim subiungit: *Quam ut postquam quisque diligenter se excusserit, & conscientia sua solus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

Obijciunt secundo: D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 5. quodlibet. 5. sic ait: *Alii vero dicunt, quod non sunt necessario confessenda, nisi circumstantia quae ad aliud genus & speciem peccati mortalitatis trahunt; & hoc probabilius est: Ergo censet probabilius esse, quod sola circumstantiae mutant speciem furti continentur.*

Respondet Soto, Cano, & alii ex nostris Thomistis, 57. Divum Thomam loco citato non ex propria mente, sed ex aliorum opinione hanc quaestionem resolvivisse, referendum scilicet opiniones sui temporis. Sed haec responsio displicet, quia licet D. Thomas ibi referat duas opiniones sui temporis, quarum una affirmabat contentas esse circumstantias aggravantes, alia vero id negabat; istam esse dicit probabiliorum, subindeque illam praefert alteri.

Melius respondetur, fuisse quosdam tempore D. Thomae, qui dicebant aliquas circumstantias quae non valde notabiliter aggravant, esse necessario confessandas, ut si ille qui commisit peccatum sit Episcopus, vel Generalis Ordinis; si commisit peccatum in die festo &c. quia circumstantias illas notabiliter aggravare existimabant. Unde quando Sanctus Doctor ait, circumstantias notabiliter aggravantes non esse de necessitate confessandas, sed tantum mutantes speciem, intendit solum excludere illas circumstantias adductas; sed non propterea negat circumstantias vere & valde notabiliter aggravantes, quales sunt illae quae probando conclusionem adduximus, esse necessario in confessione explicandas. Quod vero haec solutio legitima sit, & ab Auctore intenta, aperte colligitur ex ratione ipsius: ait enim ideo circumstantias aggravantes non esse confessandas, sed tantum speciem mutantem, quia venialis non sunt de necessitate confessandi, sed tantum mortalia, quae quantitatem infinitam quando admodum habent. Ex qua ratione constat, D. Thomam solum excludere circumstantias quae sunt intra lineam peccati venialis, & quae quantitatem infinitam non habent, quales

ARTICULUS IV.

An penitens possit & debeat, propter integritatem suae confessionis, personam compliciti revelare?

§. I.

Quibusdam praemissis, conclusio affirmativa statuitur.

Certum est primo, quod quando potest sine manifestatione compliciti integra species peccati explicari, ex caritate tenetur personam compliciti non revelare; ut si mulier rem habuit cum Episcopo, non debet circumstantiam Episcopatus explicare, quia haec non variat speciem peccati, sed sufficit dicere rem habuisse cum Sacerdote.

Certum est secundo, quod si suppetat penitenti Confessarius, qui complicem non cognoscit, tenetur ipsum adire. Similiter si possit se occultare, & se occultando efficere ne Confessarius veniat in notitiam compliciti, id etiam ex caritate praestare tenetur.

Tertio certum est, quod si sit morale periculum Confessoris extra confessionem infamatum complice, aut aliud grave nocumentum ei illaturum, penitens non debet illum manifestare, propter integritatem suae confessionis: si enim ad vitandam infamiam extra confessionem, licitum est penitenti tacere suum peccatum in confessione, ut articulo secundo ostensum est; multo magis ad vitandum extra tribunal penitentiae infamiam proximi licet compliciti.

Haec sunt certa & indubitata apud Theologos, sed difficultas est, an si penitens non possit integram sui peccati speciem absque manifestatione compliciti explicare, nec adire alium Confessarium qui complicem ignoret, & aliunde nullam dampnum complici timeatur ex malitia vel imprudentia Confessoris, an possit & teneatur penitens illum in confessione revelare, non obstante illius infamia apud Confessorem, quae sequitur per se manifestatione talis peccati?

Partem negantem tenent Marcellus, Armilla, Navarrus, Viguierus, Cano, Petrus de Ledesma, & Gregorius de Valentia; quamvis Cano limitet suam sententiam extra casum mortis, & existimet licitum esse penitenti in mortis articulo, propter integritatem suae confessionis, personam compliciti revelare; quia tunc (inquit) debet locus criminis dispensandum fama pati pro salute penitentis. Sententia tamen affirmans communis est apud Theologos tam domesticos quam extraneos, & equae aperte favet D. Bernardus opusculo de formula honeste vitae versus finem, ubi haec scribit: *De nullo proferat sine iudicio, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione; & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

Dico igitur, quando penitens aliter suum peccatum explicare non potest, quam personam compliciti revelando, potest, immo & tenetur, ob integritatem suae confessionis, personam compliciti indirecte manifestare.

Prima pars probatur primo. Quisque licite potest iure suo, querendo propriam utilitatem corporis aut animi, etiam si inde sequatur incommodum proximi, ut patet in muliere se decenter juxta statum suum ornante, ex quo ornatu sequitur amor inordinatus in juvene illum conspiciente; ipsa enim non tenetur hanc deserere ornatum, sicut nec attenuare pulchritudinem naturalem, quae multo magis incitativa est, nec recludi domo, ne ab illo juvene videatur. Item licitum est contrahenti cum Gentili, ad validitatem contractus, juramentum petere, licet inde sequatur proximi perjurium. Licitum etiam est, ad defensionem propriae vitae, facere aliquid ex quo indirecte sequatur mors alterius: Sed penitens habet jus ad faciendam integram confessionem, & consulendam suae salutis spirituali: Ergo potest personam compliciti indirecte manifestare, quando ob integritatem suae confessionis id necessarium est, tamen ex tali manifestatione sequatur aliqua infamatio compliciti apud Confessarium: praesertim cum talis infamia sit parvi momenti, & crimen compliciti uni soli homini reveletur, qui locum Dei tenet, & aequae tenetur peccatum compliciti sub sigillo servare, sicut peccatum penitentis.

Confirmatur: Potest penitens manifestare complicem, etiam extra confessionem, propter utilitatem ipsius compliciti, puta ad correctionem & emendationem ejus, ut fatentur Adversarii: Ergo cum penitens magis teneatur propriam quam compliciti utilitatem procurare, a fortiori potest ob propriam utilitatem spiritualem, & ob integritatem suae confessionis, personam compliciti in confessione revelare.

Probatur secundo eadem pars: Jus accusandi aliquem de aliquo delicto, est sufficiens causa indicandi personam compliciti ejus, si aliter non possit accusari: Sed in foro penitentiae penitens habet jus sese integre accusandi:

62. Obijciunt tertio: Ideo ad integritatem confessionis circumstantiae mutantem speciem necessario explicanda sunt, quia constituunt distincta peccata: Atqui circumstantiae aggravantes intra eandem speciem, non addunt novum peccatum, sed unicum constituunt: Ergo ad integritatem confessionis non debent necessario explicari.

63. Respondeo, quod licet circumstantiae notabiliter aggravantes intra eandem speciem non constituunt formaliter distincta peccata, bene tamen virtualiter seu aequivalenter; unum enim peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia, aequivaler moraliter multis numero distinctis, ut supra ostensum est; quare non satis explicatur quoad numerum peccata mortalia, non explicatis circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus.

64. Obijciens quarto: Homo non obligatur ad id de quo nullum extat praecipuum: Sed nullum extat praecipuum Divinum aut Ecclesiasticum de confitendis circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: Ergo homo ad id non tenetur.

65. Respondeo, negando Minorem; extat enim praecipuum divinum de confitendis circumstantiis, ex ipsa institutione hujus Sacramenti sequens; cum enim sit institutum a Christo per modum iudicii, quidquid requiritur ad hoc ut Sacerdos recte de criminum gravitate iudicare possit, cadit sub praecipuo divino; unde cum explicatio circumstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium, necessaria sit ad hoc ut Confessarius restum de gravitate criminum efformet iudicium, ut supra ostensum est, sub praecipuo divino cadit.

66. Obijciens quinto: Si necessarium sit confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, sequitur eandem fore necessitatem confitendi circumstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem: Sed hoc videtur falsum, cum Sacramento penitentiae non sit ad se excludendum, sed ad accusandum: Ergo & illud.

67. Respondet Suarez, negando sequelam; existimat enim non debere penitentem confiteri circumstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem, ob rationem in objectione adductam. Verum oppositum multo probabilius est; quemadmodum enim numerus parvus peccatorum explicandus est, ut restum de penitentia ferat iudicium, sic & circumstantia omnis notabiliter allevians, sic & meta mortis consentiar in fornicationem, debet talem circumstantiam explicare in confessione, sicut & qui peccat ex ignorantia, vel ex aliqua vehementi tentatione, ad hoc ut Sacerdos possit de ejus crimine restum iudicium ferre. Ad probationem vero in contrarium dicendum est, quod licet Sacramento penitentiae non sit ad se excludendum, sed accusandum, est tamen ita ad se accusandum, ut ex ipsa accusatione possit Sacerdos agnoscere mensuram delicti, & juxta eam, debitam tantum & non excedentem satisfactionem imponere: ad hoc autem requiritur, ut diximus, circumstantiae notabiliter minuents explicatio.

68. Obijciens sexto: Difficile est discernere inter circumstantias notabiliter & non notabiliter aggravantes intra eandem speciem: quia enim definit, quanta intensio, vel quanta duratio actus requiratur, ut peccatum notabiliter aggravetur intra eandem speciem? Ergo jugum confessionis nimis durum ac molestum redditur in nostra sententia.

69. Respondet, negando Antecedens; nam in quantitate magnitudinis & multitudinis, facillimum est discernere inter circumstantias notabiliter & non notabiliter aggravantes, ut patet in exemplis supra adductis. In intensione etiam & duratione id non multum difficile est; si enim penitens valde notabiliter excedat modum communem peccandi, quoad durationem, vel quoad intensiorem actus, est circumstantia notabiliter aggravans; si vero quoties modus ordinarius peccandi, vel quoad durationem, vel quoad intensiorem actus, non exceditur notabiliter. Unde si aliquis per multas horas perseveraverit in actu odii Dei vel proximi, vel in aliqua turpi delectatione; aut si tanto odio exarserit inimicum, ut mortuum licet, multoties confoderit, aut tale desiderium habuerit, est circumstantia notabiliter aggravans, in confessione necessario explicanda. Similiter si tota nocte concubivisti cum meretrice, non satis est dicere, semel fornicatus sum, sed tempus exprimentum erit.

Ergo & manifestandi compliceum, si aliter non possit se-
ipsum integre accusare.

74 Confirmatur: Qui voluntarie se facit socium alicujus
criminis, voluntarie etiam se subdit, quantum in ipso est,
cognitioni Judicis de tali crimine: quia voluntarie se facit
circumstantiam talis delicti: Ergo si crimen non possit
cognosci in iudicio, absque cognitione & manifestatio-
ne talis circumstantie, nullam ei irrogat injuriam, qui
habens jus manifestandi delictum Judicis, circumstantiam
illam ipsi declarat.

75 Ex his probata manet secunda pars conclusionis, nempe
quod poenitens tenetur ad integritatem suae confessio-
nis personam complicei revelare: cum enim preceptum
de integritate confessionis per se obliget, tenetur poeni-
tens ad illud implendum, quando id illicitum est, nec ex
alio majori precepto ab ejus impletione prohibetur: Ergo
si licite potest personam complicei revelare, quando ob
integritatem suae confessionis id necessarium est, quando
non potest aliter Confessorio manifestare delictum suum;
ad id precepto divino tenetur.

76 Confirmatur: Preceptum integritatis confessionis obli-
gat ad confitenda peccata, etiam turpissima, non obsta-
nte pudore & verecundia, ac detrimento fame propriae
apud ipsum Confessorium subeunda: Ergo a fortiori obli-
gat ad ea manifestanda, etiam cum periculo fame alicuius
etiam, si sine illa non potest poenitens suum peccatum in-
tegre explicare. Consequenter videtur manifesta, quia
plus requiritur ad obligandum alicuiquam ut seipsum infa-
maret, quam ut alienum crimen manifestet, cum ex ca-
ritate magis tenamur vitare propriam infamiam, quam
alienam.

Potest etiam eadem pars conclusionis suaderi ex duo-
bus inconvenientibus quae sequuntur ex adversa sententia.
Si enim poenitens non tenetur personam complicei reve-
lare in confessione, quando aliter peccatum suum ex-
plicare non potest, inde possent pravi homines occasionem
sumere gravissima crimina perpetranda, cognoscetes,
quod uterque ratione alterius non tenetur crimen suum
confiteri. Sequeretur etiam, non obligari conjugatos ad
peccata confitenda, quae in abusu matrimonii committuntur,
quando uterque est Confessorio notus, subindeque
non posse peccata illa a Praelato reservari; quod est in-
iuria relaxatio hujus Sacramenti.

§. II.

Solvuntur alia objectiones.

77 Obijcies primo: Poenitens ob integritatem suae confessio-
nis non potest infamare proximum apud Confessorium:
At non potest ipsi revelare peccatum complicei, absque
gravi infamatione illius: Ergo poenitens non potest
ob integritatem suae confessionis peccatum complicei
revelare. Major est certa, nam ubi concurrunt duo praec-
pta, executio majoris preferenda est minori, majus
autem & urgentius est preceptum de servanda fama pro-
ximi, cum sit juris divini naturalis, quam de integra-
tate confessionis, quae est solum juris divini positivi. Mi-
nor etiam ex eo videtur manifesta, quod poenitens non
potest peccatum complicei Confessorio manifestare, nisi ipse
Confessorius formet pravam conceptum de tali complice;
praesertim si peccatum complicei sit turpe, ut incestus for-
oris, vel matris.

78 Confirmatur primo: Si poenitens cognosceret Confessorium
revelaturum esse socium criminis, etiam undamtaxat
personam, deberet suum crimen non contiteri: Ergo
tenetur similiter Confessorio ipsi reticere illud crimen;
non enim minoris est momenti bona opinio proximi apud
meum Confessorium, quam apud alium.

79 Confirmatur secundo: Ideo infamatio sui ipsius apud
Confessorium, & alia confessionis incommoda, nempe
magna verecundia quam patior in illa, non sufficit ad
me excusandum ab integritate confessionis, quia talia
incommoda mea abunde compensantur ex fructu copiosissimo
Sacramenti quem recipio, vel recipere possum:
Sed infamatio proximi apud Confessorium in dicto casu,
nullo tractu compensatur: Ergo non est licita in confessione.

80 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: re-
velatio enim peccati complicei in confessione non est
detractio ipsius, sive infamatio, nisi materialiter; ut
colligitur ex D. Thoma a. 2. quae. 73. artic. 2. ubi sic
ait: *Coniungit quandoque quod aliquis dicit aliqua verba,
per quae diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed
aliquid aliud: hoc autem non est detractio per se formaliter
secundum, sed solum materialiter, & quasi per accidens.
Et si quidem verba per quae fama alterius diminuitur, pro-
ferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessarium, debet
circumstantiis observari, non est peccatum, nec potest dici
detractio.* Cum ergo revelatio complicei in confessione
non fiat animo infamandi ipsam, & poenitens solum
intendat uti jure quod habet ad seipsum integre accu-

sandum in confessione, haecque integritas accusationis sui
ipsius in tribunali poenitentiae, & jus ad illam non minus
fit rationabilis causa declarandi peccatum complicei
complicis, quam jus accusandi alium in foro externo, fit
causa sufficiens ad eum accusandum cum manifestacione
complicei, si nequeat aliter integra & sufficiens de ipso
accusatio formari; hinc fit quod talis revelatio complicei
in confessione non sit detractio de illo, aut ejus infama-
tio, nisi materialiter; sicut nec, juxta Adversarios, est
detractio vel infamatio, quando manifestatur persona com-
plices propter ipsius utilitatem. Unde

Ad primam confirmationem, concessa Antecedente, ne-
go consequentiam & paritatem; nam revelatio complicei
extra confessionem, non est sicut ea quae fit in confes-
sione, necessaria ad integritatem confessionis; nec per
consequens sufficiens ratio, ut non fit detractio vel in-
famatio formalis, sed tantum materialis, sicut ea quae fit
in ipso poenitentiae tribunali.

Ad secundam confirmationem, nego Majorem: si enim
vera esset, sequeretur ex eo poenitentem teneri ad de-
clarandum suum peccatum in confessione, etiam quando
timet rationabiliter quod Confessorius ipsum alteri reve-
labit; tale enim etiam incommodum abunde compensaretur
ex fructu copiosissimo gratiae Sacramentalis quam re-
ciperet: Cum haec sit majus bonum, quam quodcumque
inconveniens quod potest sequi ex tali revelatione sui
criminis, quam alteri a Confessorio faciendam timet.
Ratio ergo vera ob quam tenetur poenitens integre con-
fiteri, etiam si ex hoc sequatur infamia ejus apud Con-
fessorem, est quia committendo tale crimen, eo ipso vo-
luntarie se subdidit cognitioni Judicis, circa ipsam in
tribunali poenitentiae exercendi; & Sacerdos tanquam Ju-
dex habet jus cognoscendi tale delictum in illo foro.
Haec autem ratio inde omnino concludit etiam de decla-
ratione complicei, utpote qui voluntarie se faciendo so-
cium poenitens in crimine, voluntarie etiam se subdidit
cognitioni talis Judicis, si ad perfectionem ejus, & sen-
tentiam in eo ferendam necessaria sit ejus manifestatio; fi-
cuti est necessaria, quando absque ea non potest poeni-
tens integre confiteri.

Obijcies secundo cum Petro de Ledesma: peccatorum
confessio non est absolute ad salutem necessaria, nisi praesup-
posito ordinacione divina: At credibile non est, Chris-
tum Dominum voluisse hoc Sacramentum instituire, cum
dispendio ac detrimento fame proximi, & obligate poeni-
tentem ad manifestandum Confessorio crimen complicei,
quando absque ejus revelatione non potest integre con-
fiteri: Ergo poenitens, ob integritatem materialem suae
confessionis, non tenetur, immo nec licite potest personam
complicei revelare.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: cum
enim Christus instituerit Sacramentum poenitentiae per
modum veri iudicis, sicut in vero iudicio habet accusator
jus declarandi crimen alterius, etiam cum declaratione
complicei ejus, quando ipsa est necessaria ad perfectio-
nem iudicii, licet ex tali declaratione sequatur damnus
complicei in fama: ita in tribunali poenitentiae poenitens
qui est accusator sui ipsius, habet jus declarandi in con-
fessione socium sui criminis, si talis declaratio sit neces-
saria ad integritatem confessionis judicialis, licet ex ea
sequatur aliquod damnus in fama complicei apud Con-
fessorium.

Obijcies tertio: Si poenitens tenetur personam complicei
revelare, ut ejus confessio sit integra, sequitur in-
tegritatem confessionis obligare similiter ad detegendum
peccatum alterius, quamvis non complicei, si sine illo
non potest poenitens suum peccatum Confessorio explicare,
puta si pharmacum dedit matri ad extinguendam prolem
conceptam ex adulterio: At hoc dicitur, cum poeni-
tens nullam habeat jus ad revelandum peccatum in ejus
societate non committum: Ergo, &c.

Respondent aliqui concedendo sequelam; existimant
enim, non modo revelandum esse personam complicei,
sed etiam quancumque aliam, quando aliter peccati spes-
cies explicari non potest. Addunt tamen majorem in tali
casu adhibendam esse cautelam, majoremque sollicitudinem
quaerendam Confessorium, cui talis persona non sit
nota.

Melius tamen respondetur, juxta principia supra statu-
ta, negando sequelam: per crimen enim quod proximus
mecum non commisit, non se subdidit cuicunque complex
perfectioni iudicii in foro poenitentiae circa me exercendi,
neque Confessorius ex eo quod habeat jus cognoscendi
meum delictum, habet etiam jus cognoscendi delictum
proximi, quod non est circumstantia mei delicti, sicut
crimen complicei, quamvis per accidens ex declaratione
unius sequatur declaratio alterius.

Ex hoc intelligitur, quod si frater commisit incestum
ex amore forore volente & consentiente, tenetur in confes-
sione circumstantiam illam explicare, & fororis perso-
nam & crimen Confessorio detegere; secus vero si foror
non consentienti stuprum intulit, quia in primo casu
foror

foror est complex criminis, & socius flagitii; non vero in
secundo; unde tunc sufficit quod frater qui per vim so-
retum contulit, dicat se commisisse incestum cum con-
sanguinea, etique vim intulisse, non explicando circum-
stantiam personae.

75 Interes etiam ex dictis, non licere ad explicandum pec-
catum veniale, vel etiam mortale, alias rite confessum,
revelare in confessione peccatum complicei; nam institutio
& preceptum confessionis, non obligat ad explicanda
integre peccata venialia, aut mortalia, alias rite confessa.
Unde si foror venialiter peccasset in non satis prompte
resistendo violentie fratris, stuprum inferre paratis, non
liceret ei in confessione fratris personam & crimen dete-
gere, sed teneretur circumstantiam personae occultare,
quia in eo casu non haberet jus, ob integritatem suae con-
fessionis, ad revelandum peccatum fratris; cum peccata
venialia, etiamque circumstantiae, non debeant necessari-
o in confessione declarari.

76 Tertio, ex dictis colligitur, quod si quis sine neces-
sitate & causa rationabili complicei crimen detexit Con-
fessorio, tenetur illi famam restituere, si possit, quia pec-
cavit contra iustitiam; difficillimum tamen est in eo casu
posse restituere; unde poenitentes valde cauti & pruden-
tes in confessione esse debent, & diligenter cavere,
ne sine necessitate personam & peccatum complicei Con-
fessorio manifestent; in quo multi ex ignorantia vel in-
consideratione sepe delinquant, unde a Confessore mon-
endi & instruendi sunt.

Ad complementum hujus disputationis sciendum est,
praeter casus supra explicatos, adhuc esse duos in quibus
poenitens ab integritate confessionis excusatur. Primus
est, si Sacerdos ipse qui confiteretur, non potest suum pec-
catum aperire, nisi violando sigillum confessionis, seu
detegendo peccatum poenitentis sibi ante confessi. Tunc
enim hoc peccatum reticendum esse docent communiter
Theologi & Canonici; quia nimirum Christus in favorem
poenitentis voluit Sacramentum poenitentiae tam stricto
sigillo munire, ut sine poenitentis consensu non possit ul-
la de causis Confessorius nisi notitia peccatorum in con-
fessione habita; unde licet integritas confessionis sit de
jure divino, sicut observatio sigilli confessionis, neces-
sitas tamen observandi sigillum majore est, quam necessitas
integre confitendi.

Secundus est, quando poenitens habet aliqua peccata
superiori reservata; nam tunc superior potest, urgenti
gravi aliqua causa, a iudice reservatis, ab illis tantum
poenitentem absolvere, & reliqua non reservata inferiori
Sacerdoti committere. Id tamen non potest sine urgenti
causa; quia cum integritas confessionis sit de jure divi-
no, absque urgente & gravi aliqua causa, confessio di-
midari non debet. In eo autem casu non tenetur poeni-
tens peccata reservata a quibus a superiori absolutus est,
rursus inferiori confiteri, cum nulla sit obligatio his con-
fiteendi ea peccata a quibus poenitens rite absolutus est,
nisi in casibus supra disp. 8. art. 2. in fine expressis.

D I S P U T A T I O X I.

De Sigillo Confessionis.

Ad quaestionem XI. Supplementi.

75 docet S. Thomas quae. 10. de effectibus confessio-
nis, patet ex dictis de effectibus poenitentiae.
Unde hac praetermissa quaestione, quae de sigillo con-
fessionis quae. 11. tradit, breviter hic exponenda sunt.

A R T I C U L U S I.

Utrum Confessorius in omni casu teneatur servare
sigillum confessionis?

§. I.

Quibusdam praemissis, conclusio affirmativa statuitur.

75 Supponendum est ex D. Thoma hic artic. 3. sigillum
confessionis nihil aliud esse, quam obligationem qua
Confessorius alitringitur ad servandum secretum de iis
rebus quae audivit in confessione: haec enim obligatio
metaphorice sigillum appellatur, quia sicut secreta sigillo
obligari solent, ne aliis palam fiant: ita arcana pec-
catorum Confessorio concedita, perpetua silentii lege,
quasi sacro & inviolabili sigillo, obligari debent, ne
aliis innotescant.

76 Supponendum est secundo, ex triplici precepto Con-
fessorium obligari ad servandum secretum confessionis,
naturali, divino, & humano. Naturali, quia est de jure
naturae servare committum sibi alterius depositum,
tueti famam proximi, & non facere alteri, quod tibi

non vis: Divino, quia confessio, quae est juris divini,
sive secreto esset nimis odiosa, & consequenter impossi-
bilis mortaliter; qui autem praecipit finem, censetur etiam
praecipere illa sine quibus conservari finis nequit.
Humano denique, quia Ecclesia strictissime praecipit sigillum
confessionis servari, & poenis gravissimis ejus vio-
latores punit, ut patet ex canone Sacerdotis de poeniten-
tia dist. 5. ubi statuitur adversus infractores hujus sigilli
poena depositionis, & perpetuae peregrinationis. Quia
tamen ratio sanctificatur, qui frequenter peregrinatur,
ut communiter dicitur, in capite Omnis utriusque sexus
statuitur eadem poena depositionis, & loco peregrinatio-
nis, inclusio perpetua in monasterio arcto. Sic enim in
eo dicitur: „Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo,
„ aut signo, aut aliquo quovis modo, aliquatenus prod-
„ abque ulla expressione personae caute requirit; quan-
„ tiam qui peccatum in poenitentia iudicio sibi dete-
„ xit, cum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali
„ officio deponendum decernimus, verum etiam ad agen-
„ dam perpetuam poenitentiam, in arctum monasterium
„ deturandum.“

77 Ex his intelligitur, quod sicut ille qui furatur rem de-
positam in loco sacro, velut in asylo, peccat non solum
peccato furis, sed etiam peccato sacrilegii, contra reli-
gionem & reverentiam loci sacri; ita & qui violat sigillum
confessionis, non solum peccat contra jus naturale
secreti, sed etiam contra religionem, & contra reveren-
tiam debitam Sacramentum. Unde triplex peccatum com-
mittit; primum detractio, infamando proximum; se-
cundum infidelitatis, non servando secretum; tertium sa-
crilegii, contra reverentiam Sacramenti; quod ultimum
est semper mortale, cum alia duo ex levitate materiae
possint esse venialia. His praemissis, pro resolutione dif-
ficultatis propositae

78 Dico, tam strictam esse sigilli confessionis obligatio-
nem, ut nequidem in periculo boni communis, aut in
quacumque necessitate, liceat illud violare. In hac
conclusionem conveniunt omnes Theologi & Canonici,
nempe excepto.

79 Probatum primo ex capite Sacerdotis, supra citato, ubi
dicitur quod Sacerdos non debet revelare secretum con-
fessionis pro quocumque scandalo vitando.

80 Probatum secundo ratione D. Thoma hic art. 1. Num-
quam licet agere id quod est intrinsece malum: Sed vio-
lare sigillum confessionis est intrinsece malum: Ergo in
nullo casu illud violare licet. Major patet. Minor pro-
batur dupliciter. Primo, quia mentiri est intrinsece ma-
lum: Sed revelare confessionem est mentiri; nam qui
eam revelat, dicit ut homo se scire quod nescit ut homo,
sed ut Deus, seu ut Dei Vicarius: Ergo revelare con-
fessionem est intrinsece malum. Secundo, agere contra si-
gnificationem Sacramenti, est intrinsece malum; est enim
gravis injuria contra Sacramentum: Sed violare sigillum
confessionis, est facere contra significationem Sacramenti.
Ergo est intrinsece malum. Major constat, Minor pro-
batur, quia hoc Sacramentum, significando gratiam, si-
gnificat remissionem peccatorum, quae est tectio quamquam
& occultatio quam facit Deus de peccatis, quae applicis
non revelabuntur neque in hoc saeculo, neque in futuro,
ad confusionem poenitentis: Ergo revelare peccata in con-
fessione explicata, in confusionem poenitentis, est ament
contra significationem hujus Sacramenti. Simili difficultati
utitur quodlibet. 12. art. 18. his verbis: *Respondeo dicendum
quod in nullo casu licet revelare confessionem, nec verbo, nec
facto, nec signo, nec aliquo signo, quia est sacrilegium. Nam
ita est in Sacramento nova legis quod significat quod figurat
effectus autem poenitentis est occultatio peccatorum ab oculis
Dei viventis, & hac occultatio significatur per secretum Con-
fessionis; & ideo sicut profanare Sacramentum, quod consistit
corpus & sanguinem Christi de alio quam de pane & vino:
ita est revelare confessionem.*

81 Hanc rationem improbat Suarez. Tam quia (inquit) 6
haec significatio non est essentialis Sacramentum. Tam etiam
quia alias sequeretur, quod non possit Confessorius,
etiam de licentia poenitentis, revelare confessionem.

82 Verum haec frivola sunt. Primum quidem, quia saltem
est quod haec significatio non sit essentialis Sacramentum:
cum Sacramentum poenitentiae essentialiter significet gra-
tiam remissionis peccatorum, perquam teguntur seu re-
mittuntur peccata. Secundum vero, tum quia quando
Confessorius de licentia poenitentis revelat confessionem,
nulla fit injuria poenitentis, nec ullam poenitens inde con-
fusionem percipit: tum etiam quia in eo casu poenitens
dando licentiam Confessorio ut sua peccata revelet, fa-
cit quod illud quod Sacerdos sciebat solum ut Deus, seu
ut Dei vicarius, fiat etiam ut homo, & ut persona pri-
vata, quare in eo casu Confessorius non violat sigillum
confessionis, sed potius ipse poenitens illud solvit. Un-
de D. Thomas in 4. sentent. dist. 21. quae. 3. artic. 2.
in corp. sic ait: *Respondeo dicendum, quod duo sunt pro-
pter quae Sacerdos tenetur peccatum occultare. Primo &
prius.*